

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Collegii Philosophici In Academia Gissena H.T. Decanvs,
Cvnctvsqve Professorvm Ordo, Omnibvs Philosophiae
Verae Ac Sobriae Cvltoribvs, Eidemqve Vel ...**

Vulpius, Johann Reinhard

Gissæ-Haasorvm, Anno MDCCX.

VD18 90820479

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:ha33-1-202005](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:ha33-1-202005)



179 C:7

33.
COLLEGII PHILOSOPHICI
IN
ACADEMIA GISSENA
H. T.
DECANVS,
CVNCTVSQVE
PROFESSORVM ORDO.
OMNIBVS
PHILOSOPHIAE VERAЕ AC SOBRIAE
CVLTORIBVS,
EIDEMQVE
VEL *DOCENDO* VEL *DISCENDO*
DIGNAM OPERAM DATVRIS,
SALVTEM DICVNT PLVRIMAM;
ET ILLOS QVIDEM
DE NON NEGLIGENDO ACADEMICO
GRADV,
HOS AVTEM
DE STVDIIS FERVENTIORI DILIGENTIA
TRACTANDIS,
PROGRAMMATE HOC PARAENETICO
AMANTER CVPIVNT
ADMONITOS.

*Subiicitur Summi Viri, PHILIPPI MELANCHTHONIS, P. M. Communis
quondam totius Germaniae Praeceptoris, pro exentiendo in Studiis TORPO-
RE, & excitando in iis ARDORE, non sine grauissima EPANORTHOSI re-
licta nobis aurea, & renouatu lectuque longe dignissima, PARAENESIS.*

GISSAE-HASSORVM,
Literis IOH. REINHARDI VVLPII, Acad. Typogr.
Anno MDCCX.



Quandoquidem apud omnes, quibus recta mens constat, in confesso est, **ORDINEM** esse **CERTVM** in rebus humanis, *conuenienter & commode* administrandis, necessarium: erit sane & hoc nullam in dubitationem adducendum, quod **CERTVS DOCENTIVM DISCENTIVM QVE ORDO** in uita humana requiratur. Quamquam enim *Vnum* sit, ad quod *uel sine ulla Ordinum distinctione* uniuersa hominum societas tenetur; *Voluntas* scilicet *Rerum uniuersarum Conditoris ac Moderatoris Optimi Maximi sanctissima*, in qua omnem uitae nostrae, si recte ad illam conformetur, *probitatem* atque *beatitatem* uersari manifestum est: constat tamen, quod unum illud *μονογενὲς* sit quoque *πολυειδὲς, πολυμέρῃς* atque *πολύτροπον*, (*conf. Sapient. VII. 22, 27.*) & infinitam fere in sua unitate contineat cum *specierum & partium*, tum *rerum & modorum* uarietatem. Deinde, cum *Obsequium* summae huic *Voluntati debitum* omnes digno modo haud sint praestituri, nisi ad id, certo moderaminis genere, ducantur, cogantur, atque dirigantur: Videmus exinde *duos Generales Ordines* exurgere, alterum nempe **REGENTIVM**, atque **SEQUENTIVM** alterum; sed quorum *uterque* nouam in suo genere distinctionem admittere ac postulare deprehenditur. Nam, cum vel **IMPERIO** vel **CONSILIO** externe & regant & regantur Homines: apparet sane, quod **REGENTIVM** Ordo sit vel **PRINCIPVM**, qui *praesint* Imperio, vel **DOCTORVM**, qui *praesint* Consilio seu Doctrina, totius humanæ Vitae ordini administrando; itemque **SEQUENTIVM** Ordo sit tum vel **SUBDITORVM**, qui Subiectione *subsint*, vel **DISCIPULORVM**, qui Attentione *adsint*, ordinem humanæ uitae, siue imperando, siue consulendo docendoue, recte digneque praescribentibus. At sicuti, si spectemus *Obsequii necessitatem*, maius est, *Subditum esse* quam *Discipulum*;

✱ ; ✱

pulum; sic maius quoque est, si potestatem Regiminis spectemus, Principem esse, quam Doctorem: et si utrumque in suo genere sit magnum; ac, si Obsequii libertas, Regiminisque liberalitas considerentur, etiam maius esse Consilium uideatur, quam Imperium.

Licet autem in prima Hominum aetate nullus iam existeret distinctus Imperantium Consulentiūque Ordo; sed, qui Parentes generis humani erant, ii & Principum Doctorumque facerent officium: aliud tamen postulauit *mutata* deinceps rerum humanarum facies; ubi crescente Parentum hominumque numero, decrescebat sensim eorum *uirtus & auctoritas*, ut tantis muneribus una gerendis pares nix amplius reperirentur; itemque *ingruente* aliorum in alios tyrannide ac *dominatu* omnia ruebant in deterius, disjunctisque ac ueluti dispersis proborum sapientumque hominum uirtutibus & facultatibus, officia quoque publice priuatimque salutaria distribui inter plures, eoque disiungi tandem oportebat. Hoc itaque modo certus distinctusque Doctorum Ordo, quem nunc *Scholasticum* uocamus, in Societatem Humanam fuit prudenter saluberrimeque introductus: qui tamen, (si rei substantiam spectemus,) non heri demum uel nudius tertius, imo nec paucis abhinc seculis, enatus est existimandus, sed iam ab antiquissimis retro temporibus, cum inter Gentes profanas, tum quoque in ipso populo Dei, usu receptus deprehenditur; ut praeter Ethnicas atque Indicas uarii generis ac nominis Scholas, etiam Scholae puriores, post Patriarchales Propheticae & Apostolicae, testantur. Estque hic DOCENTIVM ordo tanto quidem religiosius ac sanctius tuendus, & à corruptelis quibusque uindicandus; quanto magis integrum & incorruptum eum esse ac seruari publicae rei interest. Id quod sane vel ipsa Ordinis Ratio clarissime euincit, & comprobatum simul nobis facit, non temere in ordinem Doctorum quemquam esse admittendum, sed ordine ad ordinem huncce instituendum seruandumque opus esse, si quidem Doctores idonei ac digni non nati sicut fungi debeant uideri, sed modis convenientibus ac debitis uel praeparandi sint, uel explorandi, uel constituendi denique & consecrandi. Hunc autem in finem SCHOLASTICAS diuersorum generum & graduum

A 2

PRO.

PROMOTIONES à pia Antiquitate fuisse introductas, atque etiam nunc eò dirigendas & instituendas esse; nemo in dubium uocare poterit. Nam, licet hunc *laudabilem Finem* non semper sint ex aequo assecutae; neque etiam tam *pure* semper eundem sibi habuerint propositum; multisque grauissimis *abusibus & corruptelis* laborare coeperint, ac laborauerint: *Res ipsa* tamen, *in se spectata*, damnari ideo non potest; sed opera tantummodo piis & sapientibus nauanda est, ut *scoriis* ablatis seruetur aurum, *ususque* ab *abuso* vindicetur.

Novimus equidem, quid ex Oraculo SALVATORIS NOSTRI ac DOCTORIS SVMMI, quod Matth. cap. XXIII. eommate VIII. legitur, adversus Promotiones Academicas soleat urgeri: ubi is, *Nolite Vos*, Discipulis suis ait, *uocari Rabbi; nam unus nobis est Doctor CHRISTVS, uos uero omnes fratres estis.* Hoc dicto enim iam olim commotus, qui Anabaptistis tum accessit, Doctor *Andreas Bodenstein Carolstadius*, cum Anno MDXXII. Iohanni Westermanno & Godscalco Grapio Doctorum Theologiae titulos, ipse Brabeuta, conferret, publice fuit testatus: *Se posthac nemini gradum esse collaturum, eò quod propter duos florenos promouendo alios, in Doctores sciens ac prudens faciat contra dictum Christi, modo allegatum: uti testis auctoritatis B. noster Lutherus in Commentar. ad Gen. cap. X. (Tom. IX. Altenb. pag. 274. a.) factum hoc commemorat; qui (referente D. Godfrido Sueuo in Histor. Acad. Witteberg.) etiam Matriculae istius Academiae fertur sua manu uerba quaedam id Carolstadii factum confirmantia adscripsisse. Quem uirum quoque zelo isthoc agitatam, relicta Witteberga, ad pagum Kembergam denique se contulisse, & rustico indutum habitu rusticam ibi egisse uitam, planstraq; lignis onusta uenum Wittebergam inuexisse, & non Doctorem amplius, sed Fratrem uel Vicinum Andream uocari uoluisse; praeter Lutherum Tom. III. Wittenberg. fol. 55. atque Matthesium in Concion. de Vita Lutheri, Conc. IV. & VI. Autores Historiae Conf. Aug. Ambrosio Wolfo oppositae, (quae à Chemnitio, Kirchnero, & Selneccero fuit confecta,) disertius perhibuerunt. Idem porro cum Carolstadio & Anabaptistis de gradibus Academicis sentire decantatam uulgo Quakerorum lectam,*

ut

ut & *Valentinum Weigelium*, *Christianum Hobburgium*, atque alios quosdam recentioris aetatis sub *Enthusiatarum* ac *Fanaticorum* nomine damnari solitos *Autores*; cum ex ipsorum scriptis, tum ex oppositis iisdem complurium Theologorum confutationibus, cognosci poterit: suntque è Theologis nostratibus aliqui, qui ipsum quoque *Huldericum Zwinglium*, *Henricum Bullingerum*, *Rudolphum Gualtherum*, *Theodorum Bezam*, & alios Reformatae, quae dicitur, Ecclesiae Theologos ueteres *Heluetios*, in gradus Academicos non adeo fuisse aequos obseruarunt. In quos omnes & singulos etsi nulla nos idcirca grauiori uelimus uti inuectiua: non possumus tamen non fateri, *zelum istum*, quo illi in *Promotiones Scholasticas* inuecti sunt, non omni ex parte *car' inlyuoriv* fuisse.

Tametsi enim & nos *Effatum illud DOCTORIS SUMMI* submisce ueneremur: est tamen aequè certo nobis persuasum, ac dudum fuit argumentis clarissimis euictum, non esse *tam absolutam & illimitatam* uerborum Christi *sententiam*, ut gradu tituloque *Doctoreali* homines Christianos omnino per illam *prohiberi*, oporteat existimemus. Sequeretur enim ex tam rigida interpretatione *hoc absurdum*, quod tum quoque ui contextus, & propter sequentium proxime uerborum paritatem, neque *Patri* cuiquam *Christiano* liceret à *Filio* suo se *Patris nomine* uocari; quin & ipsa hominum sanctissimorum *doctrina* pariter ac *praxis* eidem reclamarent. Nam permisit certe magnus ille Christi praecursor, *Iohannes Baptista*, ut sui ipsum Discipuli *Doctores* compellarent *titulo*, *Ioh. III. 26.* atque Apostolus *Paulus* non modo se ipsum profitetur esse *Doctorem Gentium*, *1. Timoth. II. 7.* & *2. Tim. I. 11.* sed quoque in Ecclesia Christi certum *Doctorum ordinem diuinitus esse constitutum*, expressis uerbis docet *1. Corinth. XII. 28.* & *Ephes. IV. 11.* talesque etiam ui *huius diuinae constitutionis* in ipsa Ecclesia nascente extitisse, & sacro *Xenodotias* s. *manuum impositionis* ritu à Presbyteris ipsisque Apostolis ad *Doctorem Ecclesiasticum* fuisse consecratos, ex *Act. c. XIII. 1-3.* collat. cum *1. Timoth. IV. 14.* & *2. Timoth. I. 6.* haud obscure constat. Quae etsi non de *Academico*, sed alio diuiniore ac sanctiore *Doctore* dicta esse, cum B. nostro *Luthero*

thero optime intelligamus: probant tamen ista ad minimum, quod
uerba Christi Matth. XXIII. 8. *haud sint accipienda sine limite*; con-
 tinentque praeterea *aliquid & Doctoratus Scholastico ἀνάλογον*, quo
 cognoscatur, esse & *Academicos Doctores*, dummodo digne ac reuera
 tales sint, *in suo quoque ordine & genere, suoque modo*, humanae ac
 Christianae rei *utiles ac necessarios*, eosque non sine cooperante *Spiri-*
tus Sancti gratia inter Christianos fieri debere; illos autem, qui ad
Scholasticum Doctoratum digne gerendum reuera sint idonei, etiam pos-
 se *ab ordine Scholastico* pro talibus *publica auctoritate* declarari, & cer-
 ta *piorum rituum* solennitate consecrari, certisque *Doctoratus* prome-
 riti *insignibus* exornari; ita quidem, ut *Auctoritas*, quam propria ma-
 xime uirtus docentibus conciliare debet, sic publica etiam auctori-
 tate fiat tanto illustrior & auctior. Quibus proinde grauissimis lucu-
 lentissimisque argumentis, (praesertim, si *sextum* istius capituli *comma*
 simul conferatur, & uox emphatica *φιλέω* ponderetur,) satis iam con-
 stare iudicamus, non prohibere hic Christum, *Doctorem* vel *Magi-*
strum quempiam uocari, sed *ambitiose & audacter uocari uelle*, & ta-
 lem sibi arrogare Doctoratum, qualem sibi *Scribae & Pharisei*, de
 quibus ibi est Sermo, arrogabant; quippe qui *absolutum* affectabant
 docendi *Magisterium*, quo, (sine ulla *disquisitione*, *exceptione* & *pro-*
uocatione,) liberrima uterentur quodlibet statuendi ac decernendi
 potestate; sicque derogabant auctoritati summae *unius absolute su-*
premi ac primarii Doctoris IESU CHRISTI, qui solus docet eis *ἐξουσίαν*
ἔχων, Matth. VII. 29. qui solus est *κύριος καὶ ἐξουσιῶς διδάσκαλος*, & solus
 proinde, iubente coelesti Patre, (Matth. III. 17. cap. XVII. 5. & 2. Pet.
 I. 17.) *ἀναγγελλήτως καὶ ἀνευ ἀντιλογίας* est nobis audiendus: prout id à *Theo-*
logis compluribus, non tantum ex *Ambrosii, Augustini, Theophylacti,*
Anselmi, aliorumque *Doctorum Veterum* consensu, sed magis quoque
 ex *ipsa ueritate rei*, in commentariis dogmaticis & exegeticis, ube-
 rius est demonstratum; quibus ex *ueterum Heluetiorum Theologorum*
 numero, (quod annotatu fortasse dignum est,) & ipse *Petrus Martyr*,
 Locor. Theolog. Class. IV. c. I. §. 16. iam olim satis luculento & graui
 testimonio accessit.

Quod

Quod si quis foret praeter eos *recentis memoriae Theologus* in partes hasce iam uocandus : certe in hac causa uix ullus grauior nobis succurreret, quam quidem *B. D. SPENERVS*, qui, Anno MDCLXXXVI. Amico cuidam de susceptis honoribus & titulis Academicis pie ac bene precando gratulatus : *Uterque*, subiicit, *satis intelligimus, in istis titulis ipsis*, (si soli scil. spectentur, at quos tamen aliis & conferre & auferre arduum atque difficile est,) *nihil inesse solidi, & quam plurimos illis superbire, quibus hoc ex abusu damno potius quam commodo sint. Rationem uero tuam, ut hoc etiam testimonio illis orthodoxiae tuae facias fidem, qui eam in dubium reuocare studuerunt, plane probo, nec istorum* ἡδονὴ καὶ ἐπίγνωσις *laudare possum, qui non probant. Sane, nimium posse urgeri Regulas Christianismi nostri de ipsa abnegatione sui ipsius, omnisque proprii honoris; non autumo: existimo uero, nonnunquam in externis plurimos nimis quam scrupulosos esse. Et quidem his facile ignosci posset, si abstineant iis, quae suae conscientiae molesta sentiunt; non uero aequae ferendum, ut aliorum conscientiae imperent, & sua ἰδιόγνωμοσύνη peccata faciant, quae non sunt, nouumque eorum praebant exemplum, de quibus uetus ille, quod, nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum putant. Et forte ex charitatis lege aliquid ipsis concedendum foret; si infirmi fratres haberi sustinerent, in quorum gratiam aliquando etiam licitis abstinendum est: sed plerumque tales ualidissimi credi uolunt, & ad quorum dictamen alii ut uiuant obligati sint. Talibus ergo, ubi rationem facti tui exposueris, satis feceris: si exprobrare pergant, attendendi non sunt, nec, ut ob id angamur, necessum existimo; cum norimus, non in titulis solennibus haerere ambitionem, imo nonnunquam grauiorem ὑπερηφανίαν illis haerere, qui alto supercilio istos aspernantur, & in abstinentia à re media, quae nonnunquam suum habet usum, & ex eo semper aestimanda est, sanctitatem nescio quam, uulgarī certe longe sublimiorem, collocant. Ego sane, qui Doctori titulo nunquam me ostentavi, uel ob illum aliis praestare credidi, nullo tamen auro, (quale quid etiam B. noster Lutherus de suo Doctoratu olim aliquoties professus est,) eundē hoc tempore commutauerim: quia*

eo *DEVS* usus est in suae providentiae circa me sapientissimo regimine, quod facile ostendere possum, saepiusque sapientiam illam, cuius rationes quidem, cum gradum assumerem, non assecutus sum, admirabundo animo pie venerari in deliciis habui: quamvis uicissim non negem, optaturum me fuisse, si uotis ageretur, rem omnem ad *pristinam priscorum simplicitatem* denuo redigi, uel in eadem semper nos substitisse. Ast nunc non tam de eo agitur, quid nostro desiderio magis conueniret, (mallem enim nihil eiusmodi introducere, quod *pompae* uel minimam speciem habet,) quam quid conducat, uel deceat eum, qui donis suis ad diuini nominis gloriam uti constituit, & tale quid ἐν τῷ μέτρῳ scopo suo profuturum agnoscit.

Haecenus B. Speneri piissima sapientissimaque uerba, quae leguntur Consilior. ipsius Theolog. Latin. Part. I. cap. II. Art. I. num. XXXVII. pag. 298. & digna uisa sunt, quae integra apponerentur; ut alia iam taceamus loca, quae in eandem plane sententiam conspiciant. Et si enim, quae de *SIMPLICITATE PRISCA* hic dicuntur, in odium & offensionem quorundam ex alio genere zelotarum incurrere posse facile perspiciamus: tamen, si modo mentem uiri & contextum paulo accuratius inspiciamus; patebit certe, nil aliud habere uerba ista in recessu, quam quod optandum sit, ut publico iure & more sancitum esset atque cautum, ne in solenni *Promotionum Scholasticarum, bonorumque circa eas Rituum* celebratione, profanae *Pompae* ac *Festinitati*, (quae μετὰ πολλῆς Φαντασίας καὶ δυσχερείας institui solet,) aliquid daretur; sed ad *sanctiorem Christianismi rationem, & ueram Graduum ipsorum dignitatem*, nec non ad auertendos, in quos hominum animi proclines sunt, *abusus uarios, ususque ueros consequendos*, omnia magis compositae peragerentur. Quo etiam fortasse adhuc alia quaedam pertinerent: quae, etsi suis, iisque per se non iniustis, nitantur *rationibus*; uidentur tamen ad minimum aliquid *malae speciei* prae se ferre, & *Academicas Promotiones* reddunt *suspectas* partim & *contemptas*, partim etiam uel *dignissimis* quodammodo *praeclusas*, ac *indignis*.

dignissimis patentes, eoque ipso uel difficultatibus uel abusibus iniquissimis obnoxias; neque tamen adeò sunt necessaria, ut iustis & aequis, quae una subsunt, rationibus non possit aliis multo innocentioribus modis facile prospici, dummodo aequae facilis esset publicus omnium in res optimas & saluberrimas consensus.

*Vtut autem, si rem ipsam quoque, sepositis hisce externis circumstantiis, spectemus, adhuc aliae grauissimae existant causae, cur praecunte Apostolo Iacobo, Epist. c. III. v. 1. Scholasticos nostros dehorte-
mur, ne Magisterio suscipiendo delectentur plures, cum pie digneque obinendo ac sustinendo pares non nisi paucissimi inueniantur: habemus tamen etiam, cur nobis gratulemur, si, in tam raro idoneorum Magistrorum prouentu, uideamus in Scholastica nostra Republica aliquos erectioris ac rectioris animi Commilitones Studiosos eminere, qui egregiis studiis ingenique dotibus instructi, non sine spe magna emolumenti publici, ad Philosophici Doctoratus & Magisterii honores dignissime non tantum admitti, sed inuitari etiam à nobis queant. Cumque tales aliqui iam nobis innotuerint, quorum honesta ac modesta desideria perspecta nobis facta sunt, quosque, ob instantem discessum, quem unus alterue breui hinc facere urgebitur, ante currentis huius anni decursum, honorum istorum axiomatico condecorare Collegio nostro est propositum; neque tamen dubitemus, quin praeter paucos illos, quos iam iam nouimus, ad numerum (ueruntamen non solo numero) augendum, sumtusque minuendos, etiam alii quidam idonei ac digni Candidati accessuri sint: Consultum fuit Collegio nostro uisum, per ipsum hoc Programmam publicum, hunc BREVI FUTURAE PROMOTIONIS ACTVM notio-rem reddere, talesque amanter inuitare, ut TEMPESTIVE, & sine ulla cunctatione, uel apud me Decanum, uel apud alium quemlibet ex nostro ordine Collegam, uelint Nomina sua profiteri, tumque edendis ex Legum Academicarum tenore studiorum suorum speciminibus publicis, adhibito nostro Consilio, sese accingant. Dabimus uero nos quoque operam, ut ad sumtuum consuetorum in iis, quae solo nostro ab arbitrio non pendent, modera-*

men faciendum, non tantum *totius Illustris Senatus Aca-*
demici, sed quoque *Serenissimi PRINCIPIS ac Domini*
nostri Clementissimi, consensum ac dispensationem impetremus.

Quod reliquum est: nos caeteros quoque *nostratis Academiae A-*
lumnos, qui *Philologicis Philosophicisque doctrinis ac studiis*, (à quibus
profecto *solidae cuiusvis Eruditionis dependent fundamenta atque*
complementa,) nondum, prout decebat, animos suos adeo excolue-
runt, non minus *peramanter admonitos & excitatos cupimus, ut maio-*
ri, quam quidem hucusque apud permultos fieri consuevit, *diligen-*
tia animos hifce studiis adiiciant, & commendatam sibi in eum finem
habeant *grauissimam à Viro Summo*, quem Praeceptorem suum tota
olim Germania coluit, PHILIPPO MELANCHTHONE, (cum
quondam is *Caii Plinii Veronensis Vitam, Scripta, & Diligentiam in stu-*
diis stupendam, docte exponeret, inque Exemplum aliis proponeret,)
conceptam ac recitatam *EPANORTHOTICAM PARAENESIN*, dignam
nempe eam & commodam nobis uisam, quae ad *excutiendum stu-*
diorum torporem, feruoremque tanto maiorem excitandum, nostro
huic Programmati, ueluti panno uiliori pretiosa purpura, prae aliis
omnibus quam utilissime adiungeretur; imo uero dignissimam,
quae non tantum calamis ac typis in chartas uel aureis literis denuo
exscribatur, sed *omnium quoque Studioforum cordibus* profunde in-
scribatur, & omni ab obliuione, *creberrima lectione ac relectione*, uin-
dicetur, sicque *in perpetua Scholarum Academicarum omnium memo-*
ria conseruetur. VALETE, & Res uestras, per *DEVM*, per Praecepto-
res uestros & Vosmetipsos, è re uestra agite!

P. P. sub consueto nostri Collegii Sigillo, Dominica à Festo Tri-
nitar. XVIII. D. XIX. Octobr. A. R. S. MDCCX.

L. S.



Sequitur iam
laudata
PHILIPPI MELANCHTHONIS
PARAENESIS:

Quae reperitur inter ipsius Declamationes
à *M. Ioh. Richardo* in tres Tomos digestas,

Tom. II. edito Argentorati

Anno 1570. in 8uo pag. 31. seqq.



Raecipuum autem, (ait *Melanchthon*), cur de hoc Authore (C. PLINIO) mihi hic dicendum putarem; est illius *incredibile studium legendi & annotandi ea*, quae inter legendum observatione digna occurrerunt. Quam *Affiduitatem ipsius* luculenter descripsit Sororis filius, *Plinius Iunior*, in Epistola quadam ad Caecilium; in qua dicit: Auunculum suum ne quidem Curae corporis operam dedisse, aut coenasse sine Lectione librorum, aut auscultatione. Surrexisse plerumque secunda hora noctis, ut nos numeramus, interdum prima, saepe etiam media nocte: sicut ipse testatur *Plinius*, se cum somno Valetudinem computasse; hoc est, somno non plus temporis impendisse, quam Valetudini tuendae necessarium esset. Et ait idem, se dies totos imperatoris negotiis & officio commisso tribuisse, nocturnas vero horas plerasque scribendo consumpsisse. Iter faciens idem lectica usus est, ut totum id tempus tribuere lectioni & annotationi posset.

Denique ita libris affixus fuit, quoties ab Officiis publicis & aulicis Occupationibus vacuus fuit, ut eos ex manibus non deponeret, & omne tempus perissem existimaret, quod studiis non impertitus fuisset. Hac ille Vir *Diligentia*, hac *Affiduitate*, hoc *ardenti studio discendi*, consecutus est eam, quam in eius scriptis nemo non miratur, rerum abstrusarum & diuersissimarum Copiam. In his ipsis tamen Occupationibus, scripsit etiam alios multos libros. Nam & suo-

ram temporum Historiam complexus est, uno & triginta Voluminibus, & alia scripta edidit; cum tamen non ultro annum sextum & quinquagesimum aetatis vixerit.

Ac ut de Morte quoque ipsius ea, quae certo tradita sunt ab eodem Plinio Iunior in alia Epistola, breuiter commemorem: haec ipsa semper discendi plura & explorandi & annotandi insatiabilis cupiditas ei causa exitus fuit. Nam cum secundo anno Imperatoris Titi, qui ante decennium Hierosolymorum Templum & Urbem incendio vastauerat, mons Campaniae Vesuuus in summo uertice ruptus, ingentem nubem cineris & uaporis sulphurei, mixti exesis pumicum lapidibus, una cum flammis eiacularetur; Plinius, qui Praefectus tunc Classi Romanae Misenum Portum tenebat, unde assurgentem illum fumum cernere procul potuit, ut causam huius mirandi incendii propius cognosceret, nauis Lyburnica secundo uento aduectus est. Sed cum ingruente iam propius incendio, & omnibus circa locis alto cinere & congerie pumicum eiectionum oppletis, ipse regredi aduersus uentum non posset, quo secundo accesserat; altero die, quam eo uenerat, Stabiis inter manus suorum collapsus moritur, praevocatus, ut existimant, sulphurei uaporis, & cinerum ac fuliginis attractae per respirationem copia. Accidit autem hoc Vesuuus horrendum incendium anno, ut dixi, altero & ultimo Imperii Titi Vespasiani, qui post paucos menses quoque pestili febre extinctus est; qui fuit annus post Christi natalem octogesimus secundus, aetatis autem Plinii, ut dictum est, sextus quinquagesimus, & Climactericus octauus.

Haec de Authore nostro breuiter commemorare uolui: maxime eam ob causam, ut, cum auditores in hoc Authore innumerabilium & arcanarum rerum scientiam ex plurimorum scriptis excerptam, & optimo ordine distributam inuenient, cogitent, quomodo illam tam multiplicem Eruditionem, Vir adeo caeteris negotiis, militaribus, urbanis, aulicis, domesticis, occupatus consequi potuerit: nimirum non somno, conuiuio, lusu, obambulationibus, & similibus frivolis Occupationibus; sed, cum esset acri ingenio praeditus, & flagranti cupiditate teneretur plurima cognoscendi, adhibuit eam legendi & scribendi assiduitatem, & temporis Parsimoniam, ut nullam sibi horam effluere pateretur, (quietus saltem ab aliis necessariis occupationibus,) cuius sibi recte collocatae in studiis ratio non constaret.

Ad hunc igitur tam indefessam, & nobis uix credibilem diligentiam hominis tam potentis, tam locupletis, tam denique occupati, quae so mihi parumper saltem conferte nostro hoc Seculo discentium operas & studium, ut uideatis, quam nihil simile apud multos, qui etiam non prorsus ignaui haberi functos arbitrentur. Multi sunt in ea opinione, ut se munere Scholastici egregie functos arbitrentur, si interdiu unam atque alteram Lectionem publicam audierint, & reliquam partem

tem

tem diei, quasi ualde defatigati illa auscultatione, ad refectionem uirium, absumptarum scilicet, instrumentis Musicis, Deambulationibus, aut etiam Comotationibus, consumant. Non adhibent eorum, quae publice audita sunt, domesticam Repetitionem, non Lectionis, Scriptionis, Pronunciationis, Memoriae ullum, uel rarissimum exercitium. Non conantur sermonem suum ad eorum Imitationem formare, qui purissime & propriissime locuti sunt; contenti hoc uulgari, & improprio, & saepe etiam mendoso, Orationis genere, quod usurantum, sine iudicio, sine cura munditiei & proprietatis, audientes alios simili negligentia loquentes, sibi obiter comparant. Et quod perniciosissimum est, omnes iam ferme sibi ipsi Praeceptores esse uolunt, paucissimi sunt; qui existimant, sibi gubernatore Studiorum & manu ductore opus esse. Itaque cum diligentes esse uolunt; sumunt suo arbitrio Authorem aliquem priuatim legendum: non quem ratio & ordo studiorum postulabat; sed qui in praesentia iucunditatis aliquid adferre existimatur. Eius nix dum bene inspecti obrepit fastidium; quaeritur ex Theca libraria alius Codex: iam lectio Poëtae placet, iam Historiae cognitio ducitur utilior, iam praefertur aliquod Oratorium scriptum: breuiter, multi libri inchoantur, nullus perlegitur, & lectio ipsa comparata est ad Voluptatem tantum, non ad Observationis & Imitationis studium. Eodem fastidio etiam lectiones audiuntur: iam haec eligitur; mox, quia aut immoratur diutius Lector, aut festinat nimium, aut alioqui res, quae ibi proponuntur, minus habent suauitatis, omissa priore lectione, additur alia, & nullius scripti explicatio integra expectatur. Hac, obsecro, *ratione discendi*, tam *delicata*, tam *fastidiosa*, tam *instabili*, sperare quisquam fructum dignum tantis sumptibus, tanto impendio temporis, audeat? *At non fuit tanta segnities superioris aetatis*, ubi tamen multo maiores ex aliis etiam causis *difficultates* discantibus obiciebantur. Non habebant istam, quam nunc uos, uilissimo parabilem, omnium scriptorum in Graeca & Latina Lingua, copiam. Si quis Graecum Scriptorem aut Latinum, paulo remotiorem ab usu communi, cognoscere uolebat; aut magno sumptu ex Italia usque illum petere, aut plurimo Labore & Vigiliis, cum Valetudinis etiam periculo, describere cogebarur. Nondum erant ita illustratae Artes, sed obrutae ineptissimorum Commentariorum prolixis & insulsis nugis; quas, ubi magno labore euolueras, minus aliquando Autoris sententiam assequeris, quam antea, & discedebas cum Demiphone Terentiano, fremens: *Fecistis probe; incertior sum multo, quam dudum.*

Nihilominus tamen in illa ipsa & Codicum penuria, & Artium obscuritate, & recte docentium paucitate, & in illis initiis repurgatae Linguae Latinae & Graecae, multi excellenter docti euaserunt: quorum adhuc hodie partim uoce, partim lucubrationibus, cum summa studiorum nostrorum Utilitate fruimur.

Qui certe Viri, in illis discendi Difficultatibus, nunquam ad id fastigium Eruditionis peruenissent: si *molliter ac delicate* labores discendi capessere voluissent; si per interualla, & fastidiosè, libros situ & puluere obductos, leuiter atpexissent, ac mox denuo abiecissent; si maiorem partem diei ignauo otio aut frivolis occupatiunculis consumpissent, ut nunc plerique faciunt! Sed, quia in Iuuenili aetate *serio amore* discendi flagrabant, & adhibebant *indefessum studium*, ac *Constantiam* uincentem aliquas molestias, & *certo ordine*, quem priuati aut publici Studiorum Rectores monstrauerant; per artium Circulum incedebant, & semel inchoatum librum nonnisi diligenter perlectum ex manibus deponebant, & publicis lectionibus priuata exercitia tum linguae; tum styli adiungebant, & saepe cum aequalibus de locis obscurioribus conferebant, & *in Vita ac moribus sobrietatem, modestiam*, ac erga Praeceptores suos *Observantiam* colebant; pertinerunt ad hanc Eruditionis laudem, qua nunc fulgent, ac nobis totique posteritati utiliter seruiunt. Horum nos *Exempla* imitari decebat, quoties eos intuemur, quoties eorum uoces auribus haurimus, aut scripta aspiciamus; praesertim, cum nobis *multo ad discendum plures Occasiones* diuina Clementia hoc tempore tribuerit, quas Praeceptores nostros senon habere potuisse, tunc in Adolescentia sua, saepe deplorare audimus.

Pudeat igitur nos *Ignauiae nostrae*, quod, tantis cumulari Commoditatibus & Occasionibus, *ita segniter* in studiis uertamur, & non aliter libros attingimus, quam delicatuli, cum rosas decerpunt, spinarum aculeos formidantes, manum subinde retrahunt. Doleat nobis *Dispendium*, non *pecuniae* modo, sed praecipue *temporis* sine fructu consumpti, rei omnium pretiosissimae, & ubi semel perijt, damni irrecuperabilis. Subeat nobis cura de reddendis rationibus, quas a nobis exigent aliquando Praeceptores nostri, iuste exprobrantes nobis, quod lucem Doctrinarum, quam ipsi summis cum difficultatibus, maximis laboribus, non sine periculo, denuo accensam apud nos deposuerunt, nostra inertia & solordia passi simus intercidere & extinguere.

Praecipue autem nos moueat *Mandatum Dei*, ut maiorem in discendo assiduitatem praestemus, qui nobis in hanc Scholasticam stationem vocatis suae Doctrinae *Possessionem & Propagationem* serio commendauit, & eo grauiores de nobis penas sumet, quo pluribus nos discendi occasionibus quali obruit, si eas flagitiose neglexisse videbimur.

Certissimum est autem, *Doctrinam Ecclesiae incorruptam & sinceram sine multiplici Eruditione, & Linguarum cognitione retineri & propagari non posse*. Quare si Verbum diuinitus traditum magni facimus, si Ecclesiae nos Cives ac Membra cognoscimus, eique nos totos debere fateri; ut aequissimum est, summa cura in id incumbamus, ut literis politioribus, & artibus necessariis ita

nos

nos instruamus, ut possessionem coelestis doctrinae retinere ipsi, & tradere liberis ac posteris nostris possimus.

Acut discendi curam & assiduitatem etiam horum temporum incertus status, & impendentium mutationum, & uastationum, non falso conceptus metus; ut, dum tranquillitas conceditur, instruamus nos rerum necessariorum cognitione, ut possimus esse fideles custodes tantorum bonorum, quibus Deus Ecclesiam huius postremi temporis mundi ornauit.

Licuit superiori aetate discantibus aliquanto lentius in studiis uersari, & non tam *Utilitatem*, quam etiam *lucunditatem* aliquam ex eis venari: cum tempora laetissima fuerunt, & tranquillitas in Republ. tanta, ut collatum illud seculum ad hanc tumultum, certaminum ac confusionum foecundissimam aetatem nostram, *aureum seculum* uideri potuerit. At tunc etiam multo ardentius fuit studium plerorumque, cum nullus calamitatum metus urgeret; quam nunc est, ubi fere singuli dies aliquos nouos terrores adferunt, qui *Dissipationem* Scholis minitantur. Cur non igitur imitamur *cantos & diligentes Agricolas*? qui maturis iam frugibus, cum tempestatis aut imbrium signa aliqua ingruunt, omnes Occupationes alias, Voluptates, Curas, postponentes, nec lumentis, nec Familiae, nec Corporibus suis parcunt, aut quietem ullam concedunt, donec raptim demessis, congestis & importatis frugibus, tempestatum iniurias & uiolentiam anteuertant. Cur nos stertimus, & tam segniter studia tractamus, quasi polliceri nobis uitam Machusalaee aetati aequalem possimus; ut, quod hoc anno non didicerimus, sequentibus annis nos speremus satis tempestiue consecuturos? Conqueritur de unica arte Medica Medicus eruditissimus *Hippocrates*, ampliorem eam esse, quam quae in hac Vitae humanae breuitate perdisci queat, cum inquit ὁ βίος βραχύς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ νοσέας ὀξύς. Quid nos faciemus, quibus plures artes aut cognoscendae, aut certe degustandae, & propemodum quatuor linguae discendae sunt? & ad haec ipsa tam uaria & difficilia studia temporum horum infelicitas parum tranquillitatis concessura uideretur. *Turcica rabies* grassatur indies & longius & laeuius; & non modo intestinis nostris dissidiis inuitatur, sed attrahitur etiam foedissimis foederibus & pactionibus. In *Germania* tanta est *Principum dissensio*, & inter ipsos *Dissidentia*, ut homines intelligentes nihil magis metuant, quam nonorum bellorum incendia, uel, priorum aegre sopitorum flammis denuo erumpentibus, maiores uastationes. Haec pericula cum nos circumstent, non iam est integrum nobis otiosis circumspectare & cessare, aut alias res agere: sed, quemadmodum *Nautae* faciunt, qui, dum secundis uentis usi, aliquandiu remigandi laborem intermiserunt, & corpus ac animum quiete & lusibus recreant, ubi uel uentis destituuntur, uel contrariis repelluntur, uel tempestatum signa animad-

animaduerrunt, mox ad remos & rudentes accurrunt, & commissum quisque munus strenue, & cum maximo corporis & animiconatu, capeflunt & exequuntur; ita nos decet, impendentibus tot periculis, quæ nobis Scholarum dissipationem & Doctrinarum obscuracionem minantur, *summo studio & contentione anniti*, ut nos, quantum omnino fieri potest, necessariorum artium doctrina instruamur, *geminam ob causam. Primum*, ut in communibus calamitatibus ipsi firmam consolationem & spem habere possimus æternæ salutis; quicquid etiam in hac uita nobis accadat, & mitigationis quoque poenarum, quam Deus poenitentibus, & suum officium sedulo facientibus, sæpe promittit: *Deinde*, ut ii, quos in communi naufragio Deus emergere & superesse uoluerit, sedata nonnihil tempestate, fractæ nauis tabulas quasi colligere, & ruinas suis quisque loco & ordine pro uirili sarcire queat, efficereque, ut lumen coelestis doctrinæ & utilium Artium rursus excitetur & conseruetur.

Hanc *Commonefactionem* de sedulitate in literarum studio, fortassis aliquibus insuauem, sed omnino hoc nimis delicato & molli & uoluptuario seculo nostro necessariam, ideo instituendam duxi, quia, cum de Plinio aliquid dicendum hic esset, eius incredibile studium, & temporis parsimonia, mihi causam præbuit, ut hanc nostram socordiam deplorarem, & cum huius Authoris, tum superioris ætatis exemplo, me & alios ad diligentiam exuscitarem, sine qua Virtute nihil in ullo genere Vitæ effici aut comparari laude dignum potest, & uerissime dixit Hesiodus: αἰὲ δ' ἀμύβολε γὰρ ἐστὶν ἀταρτα πάλαι.

Oro autem Deum æternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut ipse in nobis excitet amorem & studium cognoscendæ Veritatis, & discendum cœtus, & hæc Scholarum hospitia protegat, & Praeceptores, quos singulari bonitate nobis fideles præbuit, diu incolumes conseruet!



1. B. Viotti de demonstratione libri V.
Brunf. 1683.
2. J. Herr. Alexandr. Röell disputatio
metaphysica. Traj. ad Rh. 1713.
3. Disp. philos. de ente reali p. Wittel.
1689.
4. Ch. Casp. Sommer onophagiam ~~de~~ ^{de} comu
refellit. Wittel. 1687.
5. J. ph. de libertate voluntatis.
Hal. 1700.
6. Dis. de anno climaterico magno.
~~de~~ quel pherbyti. 1690.
7. Dis. de epistola dei ad genus humanum
Basel. 1576.
8. H. Freyer von Romanen ^{an} su
1730.
9. Idem de libertate academica
1730.
10. J. Gottl. Heinemann de principia
discentium cura. 1714.

11. Joh. Bapt. Rafarii oratio de
victoria Christianorum.
12. Ch. J. Hoffmanni Dissertationcula
de incendiis Longobardis (1689)
13. Jo. Fr. Buddei introductio in
p. 1. philosoph. morales. 1700.
14. F. J. de prudentia scholastica
15. dito
16. dito de migrationibus vitiorum
17. Dissert. de norma actionum
18. H. Freyri programma. 1720.
19. Pietas erga Serenissimos
20. diss. philosophicae theologiae de ani
ma & mente humana Hal. 1712
21. Dr. J. Langens philosoph. program.
Disputationes philosophicae ei
programmata

179 C: 7

MD 18

